


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

# CONCIONVM DIEBVS SVP-PLICATIONVM PVBLICARVM IVSSV IL-LVSTRISSIMI MAGI-STRATVS.

AD

Tres poſt Dominicam Rogationum proxi-mos, hoc eſt, 17. 18. 19. Maÿ dies in-dictis habendarum textus:

CVM BREVISSIMA EAQVE ſimpliciſſima tractationis diatypoſi.

SVBIVNCTIS COLLECTA-rum iſtis diebus pronunciandarum formulis.

SLESVIGÆ
EXCVDEBAT NICOLAVS VVEGENER.
1596.

LN 590
M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*Fulgent. De Pœnitent. Epiſt. 7.*

*Salubris converſio duplici ratione conſiſtit, ſi nec pœnitentia ſperantem, nec ſpes deſerat pœnitentem, ac per hoc, ſi ex toto corde quisquam renunciet peccato ſuo, & toto corde ſpem ponat remiſſionis in Deo. Etenim nonnunquam, aut ſpem pœnitenti homini Diabolus adimit, aut ſperanti pœnitentiam tollit. Vnum dum onerat, comprimit. Alterum dum elevat, deijcit. Iudas qui Chriſtum tradidit, peccati ſui pœnitentiam geſſit, ſed ſalutem perdidit, quia indulgentiam non ſperauit.*

*Auguſt. in Ioan. Tract. 12.*

*Oportet vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cum autem cœperit tibi diſplicere quod feciſti, inde incipiunt bona opera tua, quia accuſas mala opera tua. Initium operum bonorum confeſſio eſt operum malorum. Facis veritatem, & venis ad lucem. Quid eſt, facis veritatem? Non te palpas, non tibi blandiris, non tibi adularis, non dicis, iuſtus ſum, cum ſis iniquus, & incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem, vt manifeſtentur opera tua, quia in Deo ſunt facta, quia & hoc ipſum, quod tibi diſplicuit peccatum tuum, non tibi diſpliceret, niſi Deus tibi luceret, & eius veritas tibi oſtenderet.*

CON-

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

# CONCIONIS PRIMI DIEI Pericope.

## Sectio prima Pſalmi XXV. Continens V. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

AD te Domine leuo animam meam.

Deus meus in te confido, non confundar, ne lætentur inimici mei ſuper me.

Etenim omnes expectantes te non confundentur: confundentur præuaricatores vaniſſimi.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, ſemitas tuas doce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quoniam tu es Deus ſalutis meæ, te expecto tota die.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt.

Delictorum iuuentutis meæ & transgreſſionum mearum ne memineris: memineris autem mei ſecundum miſericordiam tuam, propter bonitatem tuam Domine.

*Pſalmus Dauidis vigeſimus quintus, cuius verſus ſeptem priores modo recenſuimus, præſenti inſtituto & conuentui noſtro aptiſſimè congruit. Eſt enim formula pulcherrima ardentiſſimæ precationis à Spiritu ſancto magno conſilio præſcripta, quæ & publicè in Eccleſia ſæpius inprimis in publicis malis & calamitatibus re-*



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*citaretur, & priuatim à ſingulis pijs in tentatione peccati & varijs periculis pœnis & afflictionibus vſurparetur. Petit in eo Dauid peccati agnitione vehementer perterritus, & varijs anguſtijs & calamitatibus miſerrimè preſſus, ne ob peccata ſua plurima & maxima abijciatur, Sed vt Spiritu ſancto doceatur & gubernetur, peccatorum remiſsione donetur, & ex varijs aduerſitatibus liberetur, idq; propter Dei bonitatem, qua ſoleat ſeruare ſibi fidentes & ne peccatores quidem deſerere, ſi eius timore ac ſpe adhuc teneantur, quod vtrumq; de ſe profitetur. Spectatq; totus hic Pſalmus inprimis ad hæc duo: nimirum tum exaggerationem peccati & pœnarum peccati, tum ad amplitudinem miſericordiæ Dei. Illius conſideratio nos monet, vt in nos ipſos deſcendamus, ac nos coram Deo reos agnoſcamus & fateamur, atq; à peccatis quibus mala attraximus deſiſtamus. Huius meditatio nos erigit & conſolatur, ne peccatorum & afflictionum mole fatigati frangamur deſperatione, ſed cum Dauide leuemus animas noſtras ad Dominum, petamus nobis remitti peccata, liberari nos ex periculis, gubernari diuinitus, & in vijs Domini conſeruari. Quid autem eſt huic inſtituto noſtro conuenientius? Quid ad hos noſtros conuentus accommodatius? Quid homine Chriſtiano dignius? Quid ad ſa-*

*lutarem*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

lutarem pœnitentiam efficacius? Nos igitur omnes & ſinguli non his tantum, ſed & ſingulis totius vitæ noſtræ diebus hunc Pſalmum eo affectu intueamur, vt nos loco Davidis conſtitutos nobisq; ſingulis ſingulariter hunc Pſalmum præſcriptum ſtatuamus, & ſic eum meditemur, cogitemus, & ſeria peccatorum agnitione, multaq; ad Deum fiducia repetamus.

Sectionis prælectæ meditationem tribus includimus membris.

## Primum.

PRoœmium eſt verè Patheticum & ſane aptiſſimum deſcribens quo affectu ad precandum David accedat. Conſtat hoc membrum tribus prioribus verſibus. Attendamus autem ad ſingulas voces.

Et primo quidem oſtendit, ad quem preces ſuas dirigat, inquiens: Ad te Domine. Oſtendit ſe in ſuis malis non oberrare animo aut circumagi huc atq; illuc in quærendis remedijs ſed ad vnum Deum confugere. Seiungit ergo ſuam invocationem ab invocatione Ethnica & quavis impia & vaga: Non convertit ſe ad Idola, non ad artes Diabolicas, non ad ſtatuas, non ad angelos, non ad homines mortuos, nec ad opera manuum ſuarum, nec ad præſidia humana, mu-



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

nitiones opum & factionum , Sed ad Iehova , Deum verum & vivum in Eccleſia Iſraelitica patefactum & notum, quem ſolum ſcit poſſe opitulari & eripere ex calamitatibus. Pſal. 121.

Subijcit deinde breuem invocationis deſcriptionem: levo, inquit, animam meam: anima mea in tribulatione & magnis anguſtijs conſtituta intimo & ingenti deſiderio ad te ſuſpicit, ſuſpirat, tota ad te fertur, tota abs te pendet, tota in te reſpicit, tota te ſolo nititur. Vides quid ſit ſeria invocatio, nimirum deſiderium cordis ſeu elevatio animæ ſuſpirantis ad Dominum. Levare quidem & vocem debemus, ſed niſi id ex corde fiat vera invocatio non eſt nec Deo placet. Eſt enim anima veræ invocationis non clamor vocis, ſed animæ cordisq; gemitus. Vnde Thren. 3. Levemus corda noſtra cum manibus noſtris in cœlum. Et Anna mater Samuelis 1. Sam. 1. dicit ſe animam ſuam in conſpectu Domini effudiſſe. Et nos igitur oraturi corda noſtra vero gemitu ſupra omnes creaturas attollamus, & ad ipſum Deum levemus. Levemus inquam animam noſtram deſiderio ſpiritali ad Dominum, quæ carnalibus deſiderijs conculcatur in terra. Sunt mentes noſtræ plerunq; depreſſæ, & tantum non oppreſſæ, partim cura rerum terrenarum, & mole negociorum ſecularium, partim cogitatione indigni-

tatis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*tatis peccatorum & iræ Dei. Verum levandæ, verum attollendæ, verum erigendæ ſunt, inprimis conſideratione neceßitatis publicæ & privatæ, tum maximè cogitatione miſericordiæ Dei mandantis cultum invocationis, promittentis ſimul ſe exauditurum invocantes, & fiducia mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, ob quem propitium Deum divitem in omnes & ſuper omnes nos habere ſcimus. Diligenter harum vocum meditationi inhæreamus.*

*Oſtendit tertio Dauid ſe fidem afferre ad precandum ſine qua inuocatio non eſt efficax:* Deus meus in te confido: *quod exauditurus ſis me precantem, & certam quam peto opem laturus. Scio enim te audire eos, qui in te fiduciam collocant. Orandum enim eſt ſine diſceptatione* 1. *Tim.* 2. *Poſtulet in fide nihil hæſitans. Iac.* 1. *Vox veræ fidei eſt:* Deus meus, *quem mihi totum vendico, & cui me totum permitto. Fides enim vera Deum, ſuum Deum nominat firma fiducia Deum ſibi proprium ſtatuens cum omnibus bonis & beneficijs. Hac forma Apoſtolus Thomas ex incredulitate eluctans Chriſtum Dominum ſuum & Deum ſuum appellat. Sic ſinguli pij ſingulis momentis ex corde dicant: Deus meus & pater meus. Sed non eſt hoc virium humanarum: Erudi & iuua nos Deus noſter vt te Deum noſtrum ex animo dicamus.* In te, *inquit,* Confido, *hoc*



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*eſt, premunt me peccata mea, varÿs implicor adverſitatibus: in his omnibus in te confido nihil dubitans te Deum meum mihi affuturum. Confido, hoc eſt certa atq; indubitata fiducia totus recumbo, in te, non in me, non in vllo medio aut remedio humano, ſed in te ſpem alo. Singuli pÿ ex his verbis quotidianum piumq; ſibi faciant proverbium: Deus meus in te confido.*

*Vt vero videas qualis ſit illa fiducia Davidis ſubiungit:* Non confundar, ne lætentur inimici mei ſuper me. *Hoc eſt, quoniam tu es Deus meus, in quem confido, fac quæſo, & certus ſum te id curaturum & facturum, ne mea me ſpes fruſtretur, ne confundar & æterna ignominia coram te & angelis afficiar: nec habeant inimici mei mali homines & Diaboli cauſam ſuper me deſerto & oppreſſo lætandi, mihiq; inſultandi & gloriandi quaſi iuſtam præ me habeant cauſam. Inſidiatur pÿs Diabolus cum organis ſuis, intentans illis confuſionem & ſibi ex periculis illorum læticiam quærens: Contra hoc nullum eſt præſentius remedium quam vt in Deum confidamus. Hæc enim ſpes non confundit. Vrgeatur hæc ſumma conſolatio & ſententÿs atq; exemplis ex ſcriptura illuſtretur.*

*Subnectit David Catholicam ſententiam velut rationem ab univerſali ad particulare inſtituens*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*tuens pulcherrimam Antitheſin confundendorum & non confundendorum, dicens:* Etenim omnes expectantes te non confundentur. *Nam ne quis putet ſingulare hoc eſſe paucorum privilegium, univerſalem conſolationem addit.* Omnes, *inquit, quæ particula non ſolum ad omnes ſtatus, & quasvis hominum conditiones, ſed ad omnia etiam individua in humana natura referenda eſt. Huc pertinent univerſales particulæ paſſim in ſcriptura repetitæ, Interim obſervandum eſt addi: Expectantes te. Etſi enim miſericordia Dei verè ſit univerſalis: eventu tamen illi tantum eius fiunt participes qui Dominum expectant, hoc eſt, qui agnita ſua indignitate & miſeria, credunt quod propter Chriſtum habeant peccatorum remiſſionem & ſpem hæreditatis cœleſtis, & hac fiducia invocatione & vera invocatione patienter, obedienter & conſtanter perſeverant expectantes auxilium. Hi, inquit David, non fruſtrabuntur ſpe ſua,* Non, *inquam* confundentur. *Etiamſi enim aliquandiu auxilium expectare coguntur: vel tandem tamen petita impetrantes certitudinem huius promiſſionis experiuntur. Hanc igitur dulciſſimam conſolationem in omnibus tentationibus mordicus teneamus, ne de bonitate Dei unquam deſperemus, etſi ſæpe diutius ſuſpendi videatur exauditio.*



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*Qui ergo ſunt illi qui pudefient?* Confundentur *inquit*, Prævaricatores vaniſſimi, *hoc eſt impœnitentes, hypocritæ, impij, increduli, Deo non fidentes, à Deo deficientes, perſecutiones proximo ſine cauſa intentantes. Vt enim veſtis (hæc enim metaphora eſt) facile exuitur, ita impij temerè exuunt fidem erga Deum & dilectionem erga homines. Hos dicit Propheta pudefieri, Siquidem hi opem à Deo polliceri ſibi non poſſunt. Concipiunt quidem impij ſæpe magnas aureasq; ſpes ſibiq; res maximas pollicentur. Verum, confundentur. Spes enim impiorum peribit. Nos igitur ab his longiſsimè nos ſeperemus, & vt in numero expectantium Dominum inveniamur, eundem oremus.*

### *Secundum Membrum.*

P*Ræparaverat ſe David ad precandum in membro iam expoſito: nunc concepta firmiſsima in Deum ex promiſsionibus divinis fiducia inſtituit ardentiſsimam precationem. Et quidem in hoc membro complectente verſum quartum & quintum petit ſe à Deo doceri & dirigi. Hoc enim caput eſt omnium noſtrarum petitionum ſine quo nihil ſalutare eſſe poteſt.* Vias, *inquit*, tuas Domine demonſtra mihi & ſemitas tuas edoce me, Dirige me in veritate tua

&

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

& doce me: *id eſt, rege & guberna me Spiritu tuo, ne vel à vera doctrina, ſincera tui agnitione & cultu, ad errores, vel à vitæ innocentia ad ſcelera declinem: ne deceptus Sophiſtica Diaboli ſeducar vijs & beneplacitis hominum, neve ſequar vias meas, & quod mihi bonum videtur, ſed quod tibi, idquod non potero niſi te docente & ducente: fac vt à verbo tuo (Sermo enim tuus eſt veritas) ne latum vnguem diſcedam, ſed vt in tui vera agnitione ac pietate quotidie proficiam, roborer & pergam. Petit ergo David veram doctrinæ cœleſtis agnitionem & vitæ ſanctitatem in ſe divinitus foveri confirmari & conſervari. Explicentur ſingulæ voces:* Vias, ſemitas: veritate: *& inprimis vrgeantur pronomina vias* tuas, *ſemitas* tuas, *in veritate* tua. *Monſtrentur etiam gradus,* demonſtra mihi, doce me, dirige me. *Eſt hæc precatio admodum neceſſaria. Etenim nemo tam perfectus eſt, qui non opus habeat illuminatione & gubernatione divina. Rationalis homo nec intelligit vias Domini, nec novit ſemitas eius, nec graditur in veritate eius, hoc eſt, nec intelligit quæ ſunt Dei, nec voluntatem Dei facit, ſed in rebus divinis ad gloriam Dei ad veram Dei agnitionem & cultum,*

ad ſo-

*ad ſolidam pietatem ac æternam ſalutem pertinentibus, plane cæcutit, vt eſt Rom. 3. ex Pſal. 14. Et magna eſt carnis noſtræ infirmitas, multo maior mundi malitia, omnium maxima Sathanæ aſtutia & tyrannis: Itaq; ſummum periculum, ne præcipites in varios errores, impietatem, tandemq; æternam damnationem feramur. Agnoſcit hoc Dauid nec præſumit ſe ita omnia ſcire, vt non habeat opus doctore & ductore Deo. Applica.*

*Subjungit rationem:* quoniam tu es Deus ſalutis meæ, *hoc eſt quia neminem agnoſco ſalvatorem meum præter te, nec aliunde ſpero ſalutem & liberationem quam à te Deus, nec cuiquam præterea niſi tibi vni ſalutem meam tum acceptam fero, tum concredo: Hoc enim animo & hac conteſtatione ad Deum orare debemus, nempe vt profiteamur quod ipſe ſolus ſit Deus ſalutis noſtræ nec præterea vllus Deus ſalvandi. Per ſalutem intelligit tum ſalutem corporis, tum æternam animæ & corporis ſalutem. Conſtat ergo in nobis tanquam in nobis nullam eſſe ſalutem ſed omnem eam qualis quanta eſt à Deo ſolo originem trahere & dependere.*

*Secundo:* Te expecto tota die: *altera eſt ratio.* Te expecto *in te ſpero, opem tuam quæro & præſtolor, in omnis generis tenta-*

*tionibus,*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*tionibus, quotieſcunq; ſalutem expeto, eaq; egeo: nec præſcribo tibi tempus miſerendi, certus de auxilio quandoq; futuro, nec frangor mora, ſed ſi non videor ſtatim exaudiri, expecto & quidem* tota die, *quotidie, ſemper, conſtanter & perſeveranter. Simus & nos Davidi ſimiles, vt in afflictionibus Deum expectemus. Solet enim Deus fidem noſtram ſæpe dilatione auxilij aliquandiu exercere. Hic non eſt cito deficiendum ſed cum Iacobo dicendum: non dimittam te niſi benedixeris mihi. Et cum Iobo: Etiamſi occiderit me Dominus tamen ſperabo in eum. Et cum Davide: Expecto Dominum à vigilia matutina ad vigiliam.*

## *Tertium Membrum.*

*Subijcit huic petitioni aliam David, qua precatur à Deo remiſſionem peccatorum. Fieri enim non poteſt, quin ex animo ad Deum orantibus, opemq; illius implorantibus, inter orandum peccatorum multitudo in mentem veniat. Vt enim, ſi hominis opem imploreas, in quem multum deliqueris, animo obverſatur, quid & quomodo illum offenderis, ideoq; deprecatione opus putas: ita quotieſcunq; Deum invocamus, & ab ipſo bona petimus, inprimis de peccatorum remiſſione ſolliciti ſimus. Præmittit vero*

*David*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*David huic petitioni breve exordium fundamentum fiduciæ ſternens vt erigatur inter precandum animus :* Reminiſcere miſerationum tuarum Domine & miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt. *Deus nullius obliviſcitur ſed revera omnium præteritorum, præſentium & futurorum perfectiſſimam habet noticiam, ſuntq; omnia nuda & aperta coram oculis eius. Loquitur ergo Pſaltes more, & opinione hominum, qui putant Deum obliviſci ſuæ miſericordiæ, quoties aliquandiu auxilium differt. Et non tam Deum, quam ſeipſum, etſi ad Deum ſermonem dirigat, miſericordiæ & benignitatis admonet, ex qua nimirum ſola ſpes veniæ conſtat. Per miſerationes & miſericordias, quarum vult Deum reminiſci intelligit & ipſum affectum miſericordiæ paternum, & ipſa perpetua opera miſerationum Dei. Dicit miſerationes & miſericordias Dei à ſeculo fuiſſe, hoc eſt eſſe perpetuas, æternas & nunquam ceſſaturas, vult igitur dicere: noli recedere à perpetua tua natura, & ab ingenio tuo benigniſſimo. Recordare Domine quam perpetuo fueris miſericors, quomodo à ſeculo miſertus ſis miſeriæ mortalium, bonus fueris erga omnes invocantes te. Nunquam te alium exhibuiſti miſeris mortalium rebus, quam ſummè miſericordem. Nihil ergo novi eſt,*

*quod*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*quod miſericordiam tuam imploro, nec tu quicquam inſolens aut contra ingenium tuum feceris, mei miſertus ſi fueris. Et ſcio miſerationes tuas quæ æternæ ſunt delictis meis aboleri non poſſe, ſed non ſolum tibi ſed & nobis modo fide ad te revertamur manere integras. Etiam nos exemplo Davidis in petitione bonorum perpetuo inſiſtamus unico fundamento miſericordiæ divinæ quam ſuo verbo patefecit. Eo enim pacto & Deum, ut nobis ſuccurrat, permovebimus (loquor humano more) Et nos inter orandum fiducia precandi & ſpe impetrandi animabimus. Confirmet hanc in nobis meditationem conſideratio exemplorum miſericordiæ Dei alijs exhibitæ. Quæcunq; enim ſcripta ſunt ad noſtram conſolationem ſcripta ſunt. Itaq; miſericordiæ Dei exempla in alijs demonſtrata, fidem noſtram fulciant & preces accendant. Si ad truculentum aliquem tyrannum, qui nullius unquam miſeriæ ſit viſus miſereri, nobis accedendum eſſet, deijceremur animis, nec facile aliquam opem ſperaremus: nunc vero cum ad eum accedamus quem natura tam clementem tam miſericordem tam profusè benignum eſſe novimus ut nunquam ſpreverit aut reiecerit à ſe quenquam qui opem eius imploraverit, non poſſumus non in Spiritu*

&

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

& veritate ipſum accedere, & magna fiducia filialiq; affectu perpetuæ miſericordiæ amanter promiſſæ & conſtanter præſtitæ ipſum commonefacere.

Sequitur ipſa petitio remiſsionis peccatorum, ad quam impetrandam Deum de ſua benignitate commonuit, Delictorum iuventutis meæ & transgreſſionum mearum ne memineris: noli mihi imputare, aut in me punire, verum condona mihi multiplicia mea peccata, quibus te etiam in pueritia, adoleſcentia, & juventute totaq; adeo vita mea offendi. In vocibus ne memineris iterum ſimilitudo eſt humanorum affectuum ſignificans petitionem remiſsionis. Vt enim recordari peccatorum eſt ea imputare & punire: memoria enim rei factæ & offenſæ commiſſæ magnam vim habet in animis mortalium, impellendi ad vltionem: Ita non recordari ſeu non meminiſſe eſt peccata delere, tegere & condonare. Manifeſtum hoc eſt ex Antitheſi apud Eſaiam cap. 43. Vbi Dominus inquit, Ego ego ſum ipſe, qui deleo prævaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Vocibus delictorum iuventutis & transgreſſionum, omne genus peccatorum intelligit, originale & actualia, manifeſta & occulta, interna & externa, à ſciente vel non ſciente, volente vel non volente commiſſa,

miſſa,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

miſſa, ſiue ex ignoratione ſiue ex infirmitate ſiue alio quocunq; modo patrata. Quod vero nominatim meminit delictorum iuventutis ſeu adoleſcentiæ, non eo facit, quaſi delicta iuventutem ſecuta, in virili ætate & ſenectute, nullius momenti putet: Verum his verbis omnem ante actam vitam reſpicit eamq;, vt in qua plurimum & perpetuo contra Dominum deliquerit, condemnat. Iuventus enim ad malum prona eſt & lubrica, cumq; minus in ea ætate ſapientiæ & plus ardoris & impetus ad peccandum, vicijs abundat, dum cæcam cæcæ carnis ſequitur libidinem. Siquidem in adoleſcentia carnis cupiditas validior adeo hominem raptat, vt perpauci ea ætate guſtum aliquem recti judicij conſequi queant & fere omnia pro pravis naturæ affectibus gerant. Non igitur extenuat Propheta verum magis damnat ſua delicta. Admonemur, ne obliviſcamur delictorum in juvenili fervore commiſſorum, ſed ea agnoſcamus, deteſtemur, illorumq; veniam precemur. Diſcamus ſenes, ne lubeat de præterita noſtra ſtulticia gloriari, nosq; adhuc tales eſſe optare. Diſcamus ſenes, quotidie à Deo iſtorum peccatorum veniam petere. Diſcamus juvenes, hanc ad peccandum lubricitatem & pronitatem agnoſcere, & pro gubernatione Spiritus ſancti quotidie Deum invocare. Diſcamus



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

juvenes carnis noſtræ efferatam cupiditatem cohibere, illiq́ frenos inÿcere. Diſcamus in univerſum omnes his ipſis verbis & hoc ipſo affectu quotidie à Deo offenſionum præteritarum condonationem efflagitare.

Iterum vero & hic ad miſericordiam Dei confugit Propheta inquiens: Secundum miſericordiam tuam memento mei. Memento mei, curam mei habe, tanquam pater filÿ, tuere, ignoſce meis peccatis: Secundum miſericordiam tuam, id eſt, quia miſericors es, imo ipſa miſericordia. Opponit miſericordiam peccatis & iræ peccatis debitæ. Memor eſto quidem mei non ſecundum iram qua ego dignus ſum, ſed ſecundum miſericordiam tuam, quæ te digna eſt: Proÿce poſt tergum peccata mea, miſericordiam tuam intuere, & ſecundum illam clementer & benigne mecum agere dignare. Ita & nos in precibus noſtris perpetuo ad miſericordiam Dei reſpiciamus, ab ea initium facientes, in ea pergentes, per eam concludentes:

Addit David ardentiſſimo affectu: Propter bonitatem tuam Domine, non propter merita mea, ſed quia tu natura benignus & bonus es. Vox notabilis: non iactat pietatem ſuam, omne à ſe meritum reÿcit & totum ſe à bonitate Dei pendere indeq́ omnia expectare oſtendit. Bonitati enim Dei accepta ferenda

ſunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*ſunt omnia commoda, quæ in hac vita & in futura nobis contingunt. Cultus Deo acceptiſſimus eſt, ipſi ſoli ſerio laudem bonitatis tribuere, & ab ea ſola pendere nec quicquam in nobis quod gratia, favore & beneficijs Dei dignum ſit, præconceptum afferre. Vtinam, vtinam altè pectoribus noſtris hæc vox inſideat, noſq; ad ſeriam pœnitentiam & ardentem invocationem excitet.*

*Ante lectionem Epiſtolæ in ſacris hoc die prounncietur collecta.*

Wy hebben geſündiget mit vnſen Vedern/ Wy hebben Mißgehandelt vnd ſyn Godtloß geweſen.

O Güdige Barmhertige / Woldedige Godt / gnedige Vader / dewyle wy in vnſem Leuende vórnemlich tho diſſen leſten gefehrliken tyden mit groter gefahr vmmegeuen / vnd velerley Vngelück vnd Straffen vnderworpen ſyn / erheuen wy vnſe Seele / Herten vnd Gemóter mit ſehnlikem Süfften vnd vorlangen tho dy/ vnd hapen vp dy alſe vnſen enigen waren Godt / Lath vns nicht wegen vnſer veelfoldigen Sünde tho ſchanden werden/ dat ſick



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

de Düuel vnd Viende diner Warheit vnd Kercken nicht auer vns fröuwen / dewyle Nemandt ſo vp dy hapet tho ſchanden wert / Sondern veel mehr de Godtloſen vorachter dines Wordes vnd willens tho ſchanden werden möten : Wyſe vns O HEre dine Wege / vnd lere vns dine Styge / Leyde vns in diner Warheit / vnd lehre vns / darmit dyn Name gehilliget werde / dyn Ryke kame / vnd dyn wille by vns geſchehe : Wy erkennen vnd beklagen vnſe grothe mißhandelinge / darmit wy dinen Torn ſehr wol vordenet : Gedencke öuerſt O HEre nicht der Sünde vnſer Jöget vnd aller vnſer Auertredinge / Gedencke öuerſt an vns na diner Barmhertichheit / vmb diner Güde willen / de van der Welrt her geweſen js / Vorgyff vns alle vnſe Sünde / darmit wy dy jüwerle vortörnet hebben / vnd gedenck an dine grote Barmherticheit / vnd an dine Güde / vnd lath vns derſuluigen tydtlick vnd ewichlick geneten / vmme JEſu CHriſti dines leuen Söns vnſers enigen Middelers vnd Heylandes willen / AMEN.

Epiſt-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*Epiſtolæ loco more recepto legatur textus pro concione explicandus.*

*Evangelij vice ſit Parabola: Matth. 21. Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam, &c. ad verba: reddent ei fructum temporibus ſuis.*

*Preces finita concione poſt Litaniam ſingulis diebus his dicendæ:*

Rope my an ſprickt de HEre in der tyde der noth /
So wil ick dy erredden vnd du ſchalt my pryſen.
De HEre js na allen de en anropen.
Allen de en mit ernſt anropen.
Gnedich vnd Barmhertich js de Here/
Gedůldich vnd van groter Gůde.

BArmhertige / getrůwe/ Allerleueſte Hemmelſche Vader / Dewyle du vns in aller jegenwardigen vnd vór ſtanden noth dy anthoropen beualen / ock vns vmme dines leuen Sóns JEſu Chriſti willen erhóringe thogeſecht heffſt: Wy bekennen dy vnſe veeluoldige dachlike ſůnde / darmit wy dinen rechtuerdigen Torn vnd allerley ſtraffe tydtlick vnd ewich vor-

darff gar wol vordenet: Wy bidden öuerſt allerleueſte Godt vnd Vader / du woldeſt vmme JEſu Chriſti willen vns gnedich vnd Barmhertich ſyn / den wol vordeneden Torn linderen vnd affweuden / vnd in diſſen ſorchliken tyden vor allerley Vngelücke vnd vnheyl vns behöden. Erholdt O HEre dine Hillige Chriſtlike Kercke / vnd dines Wordes warheit / Beſchütte vnſere gnedigſte vnd gnedige Auericheit / ſampt eren Hochwyſen Reden/ trüwen Denern/ vnd gehorſamen Vnderdanen / Segene dat Huß Regimente vnd Chriſtlike Kinder Tucht / Behöde vns vor falſcher Lehre/ Krych / Peſtilentz / Hunger / Dürer tydt/ Füres vnd Waters noth / vnd allen woll vordeneden Plagen: Jn dine Vederlike Beſchüttinge beuehlen wy vns ſamptlick van Herten an Lyff vnd Seele/ Gudt vnd Ehren / vnd allem wat du vns gnedichlick hefft gegeuen. Sy gnedich O HEre / ſy gnedich / Lath O HEre dyn Angeſichte rycklick auer vns lüchten/ dat wy dine Vederlike hülpe ſehen / vnd mercken / vnd diner gnedigen jegenwardicheit vns jümmer

mögen

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

mögen van Herten erfröuwen / vnd dy als vnſen Barmhertigen GOdt vnd Vader ewichlick lauen vnd pryſen / Dorch dinen einigen Söne JEſum Chriſtum vnſern HEren / AMEN.

*Pſalmi ante & poſt Concionem vna cum Litania pro cujuslibet loci ratione cantentur:*

Ach Godt van Hemmel ſüh darin.
Waket vp gy Chriſten alle / ſydt nüchtern alle thogelick.
Jdt wolde vns Godt gnedich ſyn.

## CONCIONIS SECVNDO DIE HABENdæ materia.

Sectio ſecunda Pſalmi XXV.
Continens V. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

BOnus & æquus Dominus, propterea inſtituit peccatores in via.

Dirigit afflictos in iudicio, & docet afflictos viam ſuam.

Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, ijs qui cuſtodiunt teſtamentum eius & teſtimonia eins.

Propter nomen tuum Domine propicius eſto meæ iniquitati, multa enim eſt.

Quis eſt homo ille qui timet Dominum? docebit illum viam electam.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

Anima eius in bono commorabitur & ſemen eius terram hæreditabit.

Secretum Domini timentibus eum, & teſtamentum ſuum manifeſtabit illis.

*Habuimus heri pulcherrimum, in Davide exemplum hominis pie ad ſeriam invocationem compoſiti, & ardentiſſimo affectu gubernationem Dei in doctrina & vita una cum remiſſione peccatorum petentis. Audiamus porro Davidem precando pergentem, vt & nos cum Davide porro precari pergamus.*

## *Primum Membrum.*

*PEtierat verſibus ſuperioribus inprimis fine proximi ſe exaudiri propter miſericordiam & bonitatem Dei. In huius bonitatis & miſericordiæ divinæ predicatione prolixius inſiſtit, & quaſi conciunculam precibus inſpergit. Cum enim conſcientia peccatorum perpetuo oranti obÿciat peccata & indignitatem, cogitat animus reſpui à Deo preces noſtras. Ideoq; convertit ſe ad conſiderationem bonitatis Dei, quam multis verbis illuſtrat, & ſuæ indignitati opponit, eiusq; cogitatione inter precandum fidem excitat, & animum confirmat. Petierat ſibi monſtrari & oſtendi vias Domini, petierat ſibi delicta ignoſci. Vtrumq; à bonitate Dei pendere affirmat. Deus eſt bonus: Ergo erranti-*

bus viam monſtrabit. Deus eſt miſericors & verax in ſuis promiſſis, ergo pœnitentibus peccata remittet. Verum expendamus ſingula.

Tribuit Deo duo Epitheta: Bonus & æquus Dominus. Bonus dicitur Deus, quia ſolus abſolute bonus & eſſentialis quædam bonitas eſt, fons & cauſa omnis bonitatis & boni in creaturis. totaq; natura: Ideoq; nihil poteſt ab eo proficiſci, niſi quod bonum eſt, cum malum divinæ naturæ & eſſentiæ adverſetur. Non igitur delectatur morte ſeu interitu peccatoris ſed pro immenſa ſua bonitate vult vt convertatur & vivat. Dicitur & æquus, quod non vtatur erga miſeros mortales ſuo jure ſed de eo ſemper remittat noſtræ miſeriæ miſertus. Inſiſtant pij doctores meditatione & inculcatione horum Epithetorum atq; inde extruant doctrinas, conſolationes & admonitiones, neceſſarias.

Ex eo igitur quod Deus bonus & æquus eſt infert David: Propterea inſtituit peccatores in via. Hoc eſt, monſtrat peccatoribus viam rectam, quæ eſt via ſalutis. Si enim peccatores à via iniquitatis & damnationis abducendi & in viam ſalutis deducendi ſunt, id totum à Deo expectandum. Cumq; Deus ſit vere bonus & æquus oſtendet hanc viam peccatoribus. Atq; ideo emiſit verbum ſuum in univerſum orbem,



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*quo hominibus ſalutis viam proponit, quam ſi nolint ingredi, ſuapte culpa pereunt. Applica.*

*Vt vero diſtinguat inter peccatores contumaces & pœnitentes, ſubinfert:* Dirigit afflictos in iudicio, & docet afflictos viam ſuam. Afflictos *intelligit reſipiſcentes, ſeu vt Chriſtus loquitur pauperes ſpiritu, ſub cruce humiliatos, metu judicij divini conterritos, & contritos, quibus ſua mala diſplicent, & juſtitiæ ſitim habent, ſeſeq; abnegarunt & cruci ſubiecerunt. His Evangelium ſalutariter prædicatur, in his promiſsiones Dei implentur: & horum eſſe regnum cœlorum pronunciat Chriſtus. Hos, inquit David* dirigit *Dominus, gubernat & ducit* in iudicio *id eſt recte, pro ſua moderata æquitate, quam commodiſsime eos tractet. Vt enim fidus paſtor in judicio ſuas oviculas ducit, cum prudenter, & vt oviculis prodeſſe intelligit, eas ducit: ita Dominus homines ob peccata ſua anxios & dociles commodè & prudenter tractare & ducere novit:* Docet eos viam ſuam, *docet eos ambulare in via mandatorum ſuorum, tum verbo, tum cruce. Nam & afflictiones ad hoc conducunt, vt Deo per eas nos docente, à peccando deſiſtamus & piam vitam inſtituamus* 1. *Pet.* 4.

*Vt vero quales ſint viæ Domini & quomodo ſuos ducat manifeſtum faciat, addit:* Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.

Miſeri-

*Miſericordia eſt, qua gratis offert & promittit omnibus ad Deum confugientibus remiſsionem peccatorum, Spiritum ſanctum gubernationem in tota vita, mitigationem calamitatum, & tandem iuſticiam & vitam æternam. Veritas eſt, qua præſtat quod promittit. Deus enim non eſt mendax aut inconſtans nec fallacibus dictis nos ludit animosq; noſtros ſuſpendit ſed verax eſt, firmus & conſtans in promiſsionibus, certoq; præſtat quod promittit. Complectitur igitur David his verbis ſummam omnium promiſsionum divinarum, & docet Deum ſic agere cum ſuis fidelibus, vt ex omni parte propicium & veracem eum ſentiant, etſi ratio plerumq; aliter judicet.*

*At ne quis abutatur hac miſericordia & veritate Dei addit:* ijs qui cuſtodiunt teſtamentum eius & teſtimonia eius. *Quibus verbis diſcernit veram & vivam Eccleſiam ab alijs prophanis hominibus. Eſt autem ſervare teſtamentum & teſtimonia Dei, verbum ab ipſo traditum amplecti, per fidem in Chriſtum fœdus cum Deo inire Deoq; reconciliari, & hac vera fide prælucente iuxta hoc verbum ipſum timere, invocare & colere bona conſcientia. Idem cum Davide Maria in ſuo cantico dicit: Miſericordia eius à progenie in progeniem timentibus ipſum. Ita ergo ſentiamus de bonitate & veritate Domini, ne aliquam nobis inde gignamus ſecuritatem, neve ea abutantur ij, qui teſtamentum*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*mentum & teſtimonia Domini contemnunt. Etſi enim nullis pietatis operibus legi Dei ſatisfacere, nec gratiam Dei mereri poſſumus, requirit tamen à nobis Deus ut veram fidem amplectentem gratuitum Dei amorem declaremus timore filiali invocatione & aliјs pietatis fructibus. Inculcetur diligenter; & moneantur auditores, ne peccandi impunitatem ex amplificatione miſericordiæ, & bonitatis Dei concipiant, ſed eam ad eos pertinere diſcant, qui cuſtodiunt teſtamentum & teſtimonia Dei.*

## *Secundum Membrum.*

*REpetit David petitionem remiſsionis peccatorum. Quia enim dixerat miſericordiam & veritatem Dei ſpectare cuſtodientes teſtamentum & teſtimonia Domini, procul dubio cor ipſum admonuit transgreſsionum multiplicium: Si hoc agnoſcis, & ſcis vias Domini meram eſſe bonitatem & veritatem ſed iјs tantum, qui fœdus cum eo ictum obſervant, cur igitur illas vias non teris? cur hoc fœdus non obſervas? qui fit ut carni ſic frena laxes? Denuo igitur cogitur petere delictorum veniam. Nam etiam ſanctiſsimi nunquam ſatis dignè cuſtodiunt fœdus & teſtimonia Dei, ideoq; opus habent crebra interpellatione pro impetranda condonatione.*

*Sitq;*

Sitq́ ſemper principalis hæc noſtra petitio quæ præluceat in omni invocatione. Quia enim ſubinde obſtrepit nobis & preces noſtras turbat indignitas noſtra, & recurrit morſus conſcientiæ ortus ex magnitudine peccatorum, quæ nos de præſentia & auxilio Dei deſperare jubent: ideo ſubinde opus eſt hac iteratione, qua precantis affectus magis accendatur, fidesq́ erigatur & confirmetur, ne tentationibus & ſenſu magnitudinis peccatorum oppreſſa extinguatur.

Ait ergo David: Propter nomen tuum. Ratio eſt qua impelli Deus debeat ad exauditionem. Hoc nomen Dei includit tres cauſas remiſſionis peccatorum, impulſiuam, efficientem, & finem. Impulſiua eſt promiſſio gratuita. Quia enim Deus omnibus ad gratiam confugientibus veniam peccatorum promiſit, nunquam hanc promiſſionem revocabit, quia verax eſt & conſtans in ſuis promiſſis. Efficiens eſt bonitas & miſericordia Dei. Cum enim Deus bonus ſit, non poteſt non pœnitentibus benefacere, & cum ſit miſericors revera tangitur noſtra calamitate, & lapſus noſtros benignè remittit. Finis eſt gloria Dei. Prædicatur enim & ab angelis & hominibus bonitas Dei recipientis peccatores in gratiam, & veritas eius ſervantis promiſſa & verè exaudientis, recipientis, & liberantis invocantes. Obſer-

*Obſerva etiam formam precationis ſeu verba ipſa quibus utitur David , petens veniam peccatorum :* Propicius eſto *inquit* meæ iniquitati , *hoc eſt , condona mihi mea peccata. Convenit prorſus hæc forma cum ea , quam Dominus nobis commendat , Math. 6. Remitte nobis debita noſtra. Et cum precatione publicani: Deus propicius eſto mihi peccatori.*

*Sequitur confeßio Davidis ingenua:* Multa enim eſt , *quaſi dicat: magna & multa ſunt peccata mea , quæ in nullo nomine ſub cælo niſi in tuo deleri poſſunt , majora ſunt quam vt ſub eis diutius conſiſtere queam , ideoq; multa etiam & magna tua miſericordia mihi opus eſt , & tanto majorem clementiæ laudem auferes , ſi tot & tanta peccata mihi condonaveris. Vide quam non ſit David hypocrita aut juſtitiarius diſſimulans ſua peccata , aut ea , quod pleriq; ſolemus , excuſans aut extenuans. Requiritur enim aperta peccati confeßio ab eo qui petit veniam. Et grata eſt Deo hæc confeßio , & cum fide conjuncta certam impetrat remißionem. Vbi enim peccatum exuberauit , ibi exuberat etiam gratia & clementia Dei , erga peccatores pœnitentiam agentes. Hic doceantur auditores de neceßitate, modo & fine agnitionis & confeßionis peccatorum.*

*Tertium Membrum.*

*Rapitur nunc animus Prophetæ in admiratio-*

*nem*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

nem & deſcriptionem fructuum pietatis, hoc eſt, felicitatis & beatitudinis eorum, qui Dominum timent, & vera religione illum colunt. Eſt hæc deſcriptio jucundiſſima, valdeq; neceſſaria vt & nos ſinguli ad veram pietatem & fidem excitemur.

*Orditur eam admirabundus per exclamationem & interrogationem*, Quis eſt homo ille qui timet Dominum? *quaſi dicat ô nimium felix, ô terq; quaterq; beatus eſt iſte homo, quiſquis ſit, qui ſerio timet vereq; colit Dominum. Vides in genere Davidem loqui de omnibus hominibus, nemine prorſus excepto. Dicit timenti Dominum competere hanc felicitatem, hoc eſt, qui vere pius ſit. Homines impij judicant inane nomen eſſe pietatis, & fruſtra ſuſcipi curam religionis. Sicut dicunt Malach. 3. Vanum eſt ſervire Deo, & quod emolumentum eſt, quod cuſtodivimus præcepta eius, & ambulavimus in vijs eius? verum docet Spiritus ſanctus plurima eaq; maxima commoda vere pios manere. Subijcit enim quatuor fructus pietatis ſeu quatuor partes felicitatis hominis timentis Dominum.*

*Prima eſt vera ſapientia*: Docebit illum viam electam, *id eſt, habebit vere pius Deum doctorem & ducem perpetuum, qui illum erudiet verbo ſuo, ornabit ſalutari ſapientia, tum in doctrina pietatis tum in tota vita & vocatione, ne in pernicioſos errores incidat, aut in impietatem inextricabilesq; vitæ labyrintes ruat.*

Cum

*Cum enim humana ſapientia tantis rebus impar imò prorſus infelix ſit, niſi gubernetur divinitus iuxta dictum Prophetæ: Scio Domine quod non eſt hominis via eius: maxima beatitudinis pars eſt quod promittitur ſapientia divina & cæleſtis, qua ſalutariter ſint inſtruendi & regendi qui timent Dominum. Atq; hoc eſt quod David & poſt illum Salomon ait: Initium ſapientiæ timor Domini.*

*Secunda eſt affluentia bonorum omnis generis.* Anima eius in bono commorabitur. *Per bonum intelligit omnia bona ſpiritualia, & corporalia, huius & futuræ vitæ, quæ parata erunt timenti Dominum, quibusq; multis & magnis beneficijs divinis diu & conſtanter imô æternum fruetur, vt nihil deſiderare amplius queat. Cum enim dicit commorabitur ſeu pernoctabit, oſtendit hanc eius fœlicitatem non fore momentaneam ſed firmam & perpetuam. Impij quidem florent, aut, vt verius loquar, florere videntur aliquandiu, ſed non erit flos ille diuturnus. Conijciuntur enim ex luce in tenebras. Piorum verò felicitas firma eſt, quæ quanquam nonnunquam obſcurari & oppugnari videtur difficultatibus & ærumnis: non tamen extinguitur aut expugnatur. Meminit animæ, vt oſtendat non eſſe hanc felicitatem ſuperficiariam aut ad ſpeciem externam fictam & in*

*vultu*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

vultu ſimulatam, ſed fundatam & radicatam in anima & conjunctam cum vera læticia cordis, quæ adverſitatibus non expellitur.

Tertia pars felicitatis piorum eſt conſervatio & benedictio ſeminis ſeu poſteritatis. Et ſemen eius terram hæreditabit. Maximè homines ſolliciti ſunt de poſteris, & vt illis bene ſit, nec ſumptibus nec moleſtijs vllis parcunt. Verùm plane inutilis eſt omnis illa ſollicitudo humana, niſi Deus ſucceſſum largiatur. Promittitur ergo hoc loco pijs, tantam eſſe favoris divini erga eos magnitudinem, vt ſe ad poſteros quoq; extendat. Congruit huc ſententia Pſalmi 112. Generationi rectorum benedicetur. Complectitur Spiritus ſanctus hanc felicitatem nomine hæreditatis, qua intelligitur tuta habitatio in terra, & commoda fruitio rerum, quæ ex terra proveniunt. Hæc fuſè & prolixè, ſi tempus ferat, explicari poſſunt, inſtituta inprimis Antitheſi & applicatione exemplorum. Videant autem piorum poſteri, ne degenerent à ſanctorum majorum virtutibus. Sciant etiam hanc promiſſionem habere exceptionem voluntatis divinæ, quæ ſemper quod nobis optimum eſt, eligit, nobisq; decernit.

Quarta pars felicitatis timentium Deum eſt, vivus in corde ſenſus myſterij & pacti Dei, læticia ſpiritualis, & conſolatio firma



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

in ærumnis, ex promiſsionibus Evangelij. Secretum Domini timentibus eum, & teſtamentum ſuum manifeſtabit illis. Secretum Domini & teſtamentum ſeu pactum Domini idem ſunt re, ſed ratione diſtinguuntur. Dicitur arcanum ſeu ſecretum, quia ignotum eſt carni & ſanguini. Pactum dicitur propter ſtipulationem, quæ inter Deum & hominem intercedit. Summa hujus ſecreti & pacti huc redit, quod velit Deus in filio unigenito pater noſter eſſe, remittere nobis peccata, & acceptare nos ad vitam æternam propter Chriſtum mediatorem & reconciliatorem: quodq; nos debeamus eſſe populus ipſius vera fiducia illi, ut patri adeo benefico & munifico adhærens & obediens. Dicit ergo David, illos qui timent Dominum non tantum habere veram myſteriorum divinorum cognitionem, cum impij, qui cæca ſua ratione in adyta Dei irrumpunt, nihil ſani à verbo Dei diſcant, afferentes nimirum carnales cogitationes ad ſcripturæ lectionem: Sed etiam in ſenſu iræ Dei adverſus peccata, in terroribus mortis & difficultatibus vitæ, in cordibus ſuis experiri efficaciam hujus ſecreti & pacti Dei, non deſtitui neceſſaria conſolatione, ſed perſpectam habere voluntatem & conſilium Dei, ut in clementiſsima ordinatione Dei tuto plane acquieſcant, docente eos intus Spiritu ſancto, & illuminante mentes ſufficiente conſolatione ex

hoc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*hoc ſecreto & teſtamento Dei manante. Contra, qui vacui ſunt timore Dei, etſi & illis ſecretum, & teſtamentum Dei proponatur, non tamen intus in corde eius efficaciam ſentiunt, nec dulcedine aut conſolatione eius ulla fruuntur.*

*Vide quanta ſit & quam multiplex felicitas hominum timentium Deum, quæ dulciſſimè & fuſiſſimè explicari poteſt, cujus felicitatis, ut & nos participes reddamur, timori Domini ſerio ſtudeamus.*

*Collecta ante lectionem Epiſtolæ.*

HEre handele nicht mit vns na vnſen Sünden.

Vnd vorgelde vns nicht na vnſer Miſſedådt.

O O gnedige vnd aller holdtſeligeſte Vader / de du na diner gnedigen vorhetinge de Armen Sünder vnderwyſeſt vp dem vtherwelden Wege/vnd de Elenden recht leydeſt / vnd lehreſt den Elenden dinen Wech: Vorlene vns dine Vederlike güde vnd gnade / dat wy ſolcke dine Wege / welcker jdel Güde vnd Warheit ſint/ recht erkennen/ vnd dinen Bunde vnd Tücheniſſe holden. Wy bekennen O

gůdige Vader/ dat vnſe miſſedadt / darmit wy dy vortörnet / groth vnd vele js / alſo dat wy diſſer diner Vederliken gůde / de wy begeren/ gantz vnwerdich ſyn / Wy bidden öuerſt / du woldeſt vmb dines Namens willen vnſer veelfoldigen Miſſedadt gnedich ſyn / vnd vns dorch dinen gewiſſen Geiſt henförder vp dinem Wege erholden/ dat wy dy van Herten früchten / vnd in dinen Gebaden wanderen / darmit wy alſo dorch dine erlüchtinge den beſten Wech erkennen/ vnſe Seele im guden wanen/ Wy vnd vnſe Nakömlinge rouwe vnd frede im Lande erholden / vnd wy in vnſen Herten ware Krafft dines Wordes / Geiſtliche fröwde / vnd leuendigen Troſt in aller anuechtinge vnd noth ſalichlick befinden / vnd in dinem Bunde / den du mit vns in JEſu Chriſto gemaket / ewichlick mögen beharren / vmb deſſůluigen dines leuen Sönes vnſes HEren willen / AMEN.

*Epiſtola textus explicandus.*

*Evangelium Luc.* 13. *ab initio capitis ad verba: Sin autem, in futurum ſuccides eam.*

*Poſt*

*Poſt Litaniam repetantur preces ſupra poſitæ.*

Barmhertige / etc.

*Cantentur hoc die Pſalmi.*

Vth deper noth ſchrye ick tho dy.
Erbarm dy miner O HEre Godt.
Godt de Vader wahn vns by.

# LECTIO TERTII DIEI.

Sectio tertia Pſal. XXV.
Conſtans V. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

OCuli mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe educet de laqueo pedes meos.

Reſpice ad me & miſerere mei, quoniam vnicus & afflictus ſum ego.

Afflictiones cordis mei multæ ſunt, ex anguſtijs meis erue me.

Vide afflictionem meam & dolorem meum, & propiciare omnibus peccatis meis.

Vide inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me.

Cuſtodi animam meam, & eripe me, ne erubeſcam, quoniam ſperaui in te.

Integritas & rectitudo cuſtodiant me, quoniam expecto te.

Redime Deus Iſraelem ex omnibus tribulationibus eius.

*Heſterna Pſalmi ſectio maxima ſui parte prædicatio fuit ſummæ Dei bonitatis & ſum-*



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

mæ felicitatis verè timentium Dominum cui interſperſa fuit peccatorum deprecatio repetita.

In hac ſectione tertia & vltima redit David ad preces.

### Primum Membrum.

PEtitioni aliquot verſibus comprehenſæ, præmittit novum quaſi exordium, quo aditum ſibi parat ad orandum, in quo & geſtus orantis & affectus exprimitur, Oculi mei ſemper ad Dominum ſuſpiciunt ſeu erecti & intenti ſunt. Quæ mecumq; premat calamitas, ad Dominum reſpicio; ab ipſo liberationem expectans. Probe expendantur verba, Oculi, inquit, mei. Non intelligit tantum oculos, ſed vna cum oculis cogitationes totamq; adeo animam intelligit, vt ſupra dixerat: ad te Domine levavi animam meam. Vt enim qui aliunde aliquid expectat ſemper eo, vt oculos, ita animum & ſpem convertit: ita dicit David ſe oculos ſuos, manus & animam erexiſſe & direxiſſe & porrexiſſe ad Dominum. Mos orantium reſpicere ſurſum, illucq; oculos dirigere, quo dirigunt mentem, quod & Chriſtus legitar feciſſe. Huc pertinet Pſal. 123. Significatur ergo directione oculorum intentiſſimus orantis affectus, qui nititur promiſſionis fiducia. Addit: Semper vt ſignificet ſe non ſemel tantum atq; iterum oculos ad Deum in-

um in-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*um intendere, poſteaq; defatigari, ſed ſemper auxilium indefeſſo intuitu à Deo expectare. Ad quem autem dirigit David oculos?* ad Dominum *ſeu ad Iebovam, docens in ſolo vero Deo ſpem ſalutis poſitam eſſe. Ideoq; falli turpiter, qui alio oculos convertunt, alibi quam apud Dominum malis ſuis remedium quærunt.*

*Fidem porro ſuam teſtatur inquiens:* quoniam ipſe educet de laqueo pedes meos *Certus ſum me non fruſtra oculos meos ad Dominum attollere, ſed indubitatim credo & ſcio illum rurſus me reſpicere, & è periculo in quo ſum, me liberare velle. Per laqueum ſeu rete intelligit ſerpentinas atq; occultas ſuggeſtiones hoſtium & clancularias inimicorum inſidias, tum alia omnia, quæ animum dubium reddunt & perplexum, aut in eas difficultates hominem conijciunt, unde ſe expedire nequeat. Metaphora ſumpta eſt à laqueis venantium & retibus quibus occultè ſtruuntur inſidiæ feris, alijsq; animalibus. Docet hæc particula habere Eccleſiam ſingulosq; pios varios hoſtes, Diabolum nimirum & mundum, imo & propriam carnem, à quibus varijs laqueis impetantur & plurimis difficultatibus involvantur. Quod vero addit:* ipſe educet pedes meos, *eo vtrumq; oſtendit: nimirum, multo nos eſſe inferiores, quam vt ipſi noſtris*



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

conſilijs ex illis nos expedire queamus: Deum vero adeſſe nobis & nos eripere. Emphaſis in voce ipſe quaſi dicat ſolus Iehova, cum nulla patet via evadendi, viam caperit. Confirmemus & nos fidem noſtram. Etiamſi enim vel mundus, vel Diabolus aſtutiſſima contra nos ineant conſilia, vt nos ſuis caſſibus irretitos perdant: tamen Dominus pro ſua bonitate nos ex iſtis inſidioſis machinationibus evolvet. Videamus autem ne ſecuritate & impœnitentia noſtra animum Dei paternum à nobis abalienemus, & ſollicitam eius pro nobis curam ingrati avertamus.

## Secundum Membrum.

INſtituit nunc prolixam David orationem, qua petit defenſionem & liberationem ex periculis, cui tamen iterum miſcet petitionem remiſſionis peccatorum. Nos verba precum Davidis ſic aſpiciamus, vt ſinguli calamitates publicas & privatas nobis incumbentes piè Deo proponamus & ardenter deprecemur. Reſpice inquit, ad me & miſerere mei, hoc eſt, clementer oſtende, te mihi non amplius iraſci, ſed favere, teq; curam mei agere, & affici meis ærumnis. Sumpta eſt forma ſermonis à communi conſuetudine inter homines, inter quos clemens

*mens intuitus ſignum eſt favoris & benevolentiæ: Sicut averſio faciei ſignum eſt odij & iræ. Sic nos humano more de Deo loquimur, qui & ipſe faciem ſuam à nobis avertere iratus videtur, quando ſubtrahit ſuum auxilium, benedictionem, libirationem & animi alacritatem & fiduciam. Sonemus igitur & nos quotidie hanc vocem:* reſpice in me: & miſerere mei, *reſpice miſeriam meam, noli iratus faciem tuam avertere, ſed clemens eam ad me converte, condona peccata & fer opem, idq; ex mera miſericordia & gratuita bonitate. Eſt enim miſereri ſeu miſericordia Dei cauſa omnium beneficiorum.*

*Rationem & neceſſitatem ſubjungit David:* quia vnicus & afflictus ſum ego, *non ſum ſtipatus auxilio mundano amicorum, aut alijs hujus vitæ præſidijs: Sed ſum* vnicus, *id eſt, ſolitarius, deſertus ab omnibus, deſtitutus omni ope, exutus omnibus auxilijs humanis. Et ſum* afflictus, *hoc eſt miſer, magna mole calamitatum gravatus, ex quibus nulla humana vi aut induſtria eripi poſſum. Obſerva quomodo Deus ſoleat ſuos exercere. Nam eos non ſolum hoſtibus* oppugnandos *obijcit: Verum etiam amicorum ſolatio, & proximorum ope deſtitui & ſic ſatis miſere affligi permittit. Facit id in hunc finem, ut doceat nos, non eſſe ſalutem in*

 homi-

*hominem, à ſe omnem benedictionem & auxilium dependere. Quod ſi hoc ipſo modo etiam nobiſcum agat Deus, nosq; in ſimilia pericula incidamus, imitemur Davidem & à Deo auxilium petamus. Quanto enim minus humanorum præſidiorum habemus, tanto promptior eſt Dominus ad ferendam opem: ubi deſinit humanum præſidium, ibi incipit divinum auxilium. Et promiſit Deus ſe deſertos, miſeros & afflictos fide invocantes in ſuam tutelam recepturum. Pſal.* 10. *Tu laborem & dolorem conſideras, tibi derelictus eſt pauper.*

*Exaggerat ſuas calamitates inquiens:* Afflictiones cordis mei multæ ſunt. *Non enim tam ob cruciatus corporis gemit David, quam ob cordis internas anguſtias. Nam dum corpus foris calamitatibus premitur, animus intus cogitatione peccati & delictorum & ſenſu iræ Dei perturbatur, & fides impugnatur. Idem omnibus pijs quotidie accidit, ut revera poßint cum Davide dicere ſinguli: afflictiones cordis mei multiplicatæ ſunt, foris pugnæ, inquit Apoſtolus, intus pavores. Permittit hoc Deus, non ut mole afflictionum fideles opprimantur & deſperent, ſed ut de ſe deſperare, in Deum vero ſperare adq; ipſum reſpicere ſerio diſcant, qui unus poteſt moleſtißimam illam & gravißimam ſarcinam levare.*

*Quare*

*Quare mox ſequitur precatio:* ex anguſtijs meis erue me, *libera me ex tantis afflictionibus & anguſtijs, quibus extus & intus premor & conficior. Notabilis eſt vox anguſtiarum. Animi enim dolores ita comprimunt cor & in anguſtum redigunt, vt nuſquam appareat conſolatio, nuſquam pateat exitus.*

Vide afflictionem meam & dolorem meum: *Repetit quidem idem commutatis verbis, & tamen in ſingulis hemiſtichijs ſingulare aliquid miſcet. Hic duobus vocabulis magnitudinem malorum, quibus erat ſubjectus, afflictione nimirum & dolore complectitur. Et à Deo petit vt ad ea intendere, ea videre, & intueri dignetur inquiens:* Vide, *attende quæſo, quid & quanta patiar. Sæpiſſime enim Deus ignorare videtur noſtras miſerias & non intueri aut perſpectas habere noſtras afflictiones: ideo oremus, vt dignetur percenſere & conſiderare malorum, quibus premimur, telam, vt intuitu illorum commiſeratione erga nos moveatur, & vel tandem nos liberet.*

*Quia vero inprimis torquebat animum Davidis peccatorum conſideratio, quibus norat, ſe præſentes afflictiones meruiſſe, tertio repetit petitionem remiſſionis:* & propiciare omnibus peccatis meis, *noli me pro merito*

*punire*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

punire, ſed condona peccata, & aufer peccatorum pœnas. Eſt enim hic ordo rectiſſimus, vt in omnibus petitionibus initio, medio & fine agnoſcamus malorum originem, & petamus remiſſionem peccatorum, vt ſublata cauſa, tollatur & effectus. Impetrata enim remiſſione peccatorum, recto ordine petitur pœnæ condonatio vel mitigatio. Quando igitur in calamitatibus peccata admiſſa nobis ob oculos verſantur: eorumq́ recordatio nos gravius cruciat, quam ipſæ peccatorum pœnæ: iterum atq́ iterum condonationem eorum per Chriſtum petamus: vt conſcientia relevata onere peccati, tranquillior fiat, & afflictiones patientius ac fortius ferat, liberationemq́ tandem impetret.

Amplificat querelam de ſuis malis à multitudine & odio hoſtium: Vide inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt. Quaſi dicat: conſidera, recollige, noli obliviſci, noli ignorare, æterne Deus, quot & quam multiplicibus ego hoſtibus ſim circumdatus, à quibus me eripere non poſſum. Imago eſt David veræ Eccleſiæ, quæ perpetuo in hoc mundo hoſtes ſuos acerbiſſimos, & quidem plurimos, cum quibus confligetur, habet. Sunt hoſtes Eccleſiæ varij, qui tametſi non vno modo Eccleſiam aggrediantur, vnum tamen ſcopum habent, vt Eccleſia Dei oppreſſa, ipſi dominentur, regnumq́ Sathanæ

pro-

propagetur. Sunt Tyranni, ſunt Sophiſtæ & Sycophantæ, ſunt Hypocritæ, ſunt Epicurei & alÿ id genus multi & magni. Id cum ſinguli pÿ conſiderant, vna cum Davide ad preces confugient tanquum firmiſſimum aſylum contra omnes hoſtes. Turris fortiſſima nomen Domini, ad hanc confugiet juſtus & ſalvabitur.

Ne vero quis exiſtimet hoſce Davidis inimicos juſtam odÿ & perſecutionis cauſam habere, addit: & odio iniquo oderunt me: Quaſi diceret: etſi coram te, æterne Deus, reus ſum, & hanc, qua premor, calamitatem meritus, quod antea peccata mea aliquoties fatendo teſtatus ſum: tamen inimici mei odium iniquum contra me gerunt, nec habent vllam cauſam juſtam cur me perſequantur. Egregia vero admonitio. Præſtare non poſſumus, vt inimicos & adverſarios nullos habeamus: id vero Deo auxiliante præſtemus, ne cauſam illis juſtam demus ſui adverſus nos odÿ, vt & nos bona & non contra dicente conſcientia cum Davide hunc verſum pronunciare, ſitq́, ad quem petere poſſimus.

Quod cum ita ſit, cum, inquam, tanta ſit hoſtium meorum inique me odientium multitudo, tu ergo, benigniſſime Deus, cuſtodi animam meam. Vtrumq́ petit; tum vt erigat Deus animam, ne abſorbeatur dolore in tantis ærum-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

*ærumnis , neve deſtitutus conſolatione ruat in deſperationem , neve murmuret aut fremat adverſus ipſum : Tum ut defendat vitam Davidis & eam aſſerat contra hoſtes tam potentes & violentes: Ideo addit:* & eripe me, *nimirum de manibus adverſariorum à quibus circumdor & conculcor. Fac, inquam,* ne erubeſcam, *hoc eſt, ne pudefiam coram ipſis, nec mea me ſpes de ſalute concepta fallat, ipſiq; ſuper me lætentur & triumphent. Vſus eſt & ſupra hac voce, & ſæpe alias ea ſcriptura utitur. Eſt enim in piorum afflictionibus etiam acerbiſsimis nihil acerbius, quam ſi confuſi & pudefacti videre cogantur hoſtium læticiam & exultationem. Excitat autem Deum iterum ad opem ferendam addita ratione:* quoniam ſperavi in te. *Nihil enim efficacius eſt ad impetrandum auxilium Dei, quam cum in vera fide ſpem noſtram Deo obtendimus, ſpem, inquam, conceptam ex dulciſsimis promiſsionibus de nobis non deſerendis: ita enim Deo nominis ſui gloriam conſervandam & tutandam proponimus, ne male audiat, ſi in ſe confidentes deſerat: ideo & ſupra dixerat: etenim omnes expectantes te non erubeſcent.*

*Concludit hanc petitionem inſigni quaſi Epiphonemate:* Integritas & rectitudo custo-

diant

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

diant me, quoniam expecto te. *Petit David vt det ipſi Deus integritatem & rectitudinem, & vt hæc ipſa, Deo faciente, ipſum cuſtodiant.* Integritas *ad conſcientiam refertur & animum.* Rectitudo *ſignificat congruentiam actionum cum lege Dei. Fac, æterne Deus, vt ſim integer & rectus, id eſt, ne ſim mihi conſcius vllius doli, fraudis, inſidiarum aut perplexitatis, vt vitam meam, omnesq; vitæ meæ rationes, cauſas, aut partes piè & candidè inſtituam & regam, vt in religione & vita vitem omnes ambages, tergiverſationes, & fucos ne vllo modo noceam proximo, ſed omnia potius in ipſius commodum convertam, vt hac ratione perpetuo, etſi coram te ſemper ſim & maneam miſer peccator, tamen contra hoſtes poßim habere gloriam bonæ conſcientiæ & juſtæ cauſæ. Et da vt, vbi his me ornaſti, in his ipſis contra hoſtes conſerver. Idq; non meo merito, ſed* quoniam expecto te, *id eſt, quoniam fido in tua bonitate & promißionibus quod me defendentem cauſam juſtam, quam te rectore habeo, non ſis deſerturus. Hic verſus probè expendatur & accuratè animis infigatur.*

## *Tertium Membrum.*

*Con-*

*Concludit Propheta Pſalmum generali precatiuncula pro totius Eccleſiæ liberatione, & ſic hypotheſin ad theſin transfert, inquiens:* Redime Deus Iſraelem ex omnibus tribulationibus eius. *Hactenus pro me ipſo tanquam membro Eccleſiæ oravi, ita nunc te oro, vt non me tantum ex præſenti periculo eripias, ſed totius Eccleſiæ tuæ miſerearis, quæ in membris ſuis varia adverſa patitur, & liberes nos ab omni malo. itaq; preces iam effuſas pro tota Eccleſia ſingulisq; eius membris factas, accipias. Per Iſraelem intelligit totam Dei Eccleſiam. Nomen Iſrael impoſitum eſt Patriarchæ Iacob ab eventu, vt legimus Gen. 23. Repetatur inde huc hiſtoria. Fuit igitur Iacob typus totius Eccleſiæ. Vt enim ille tentatur, orat, luctatur cum Deo, vincit & reportat benedictionem: ita Eccleſia Dei in hoc mundo tentatur varijs modis, tentata orat, orans luctatur, luctans vincit, & vincens benedictionem reportat. Quando iam Pſaltes meminit tribulationem Iſraelis, docet Eccleſiam in hoc mundo ſubjectam cruci. Petit ergo eripi eam ex vniuerſis afflictionibus. Vult ſuam ſalutem conjunctam eſſe cum publica Eccleſiæ ſalute, nec privatim ſibi tantum conſulit, ſed communem totius populi ſtatum complectitur, inprimis vero, quia caput erat huius populi, ſciebat ſe ſalvum eſſe*

*non*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

non poſſe, niſi populus eſſet ſalvus. Quo magis neceſſe habuit publicam ſui populi ſalutem Deo commendare, & populi incommodis non minus affici quam ſuis. Imitemur idem & nos. Dum enim privatas noſtras miſerias, nobiſcum reputamus, admoneamur de calamitatibus Eccleſiæ Dei. Ea enim debet eſſe inter ſanctos ſocietas & communio, ut ſinguli publicis miſerijs afficiantur: Petitionibus itaq; de privatis rebus adjungenda ſunt ſemper vota pro ſalute univerſæ Eccleſiæ. Et ſane tales pias preces Deus nunquam negligit. Quotidianis igitur ſuſpirijs hoc votum ingeminemus: redime Deus Iſraelem ex omnibus adverſitatibus, ſpiritualibus & corporalibus, temporalibus & æternis, & tandem dona nos ereptos ex omnibus hujus vitæ miſerijs pace, tranquillitate, beatitudine ac gloria cœleſti.

*Precatio ante Epiſtolam.*

Godt ſy vns gnedich na diner Güde.
Vnd vordelge vnſe Sünde na diner
groten Barmhertichheit.

O Getrüwe / Holdtſelige vnd ewige Hemmelſche Vader / Wy dine Arme Kinder kamen in vnſer noth

vor dyn Vederlike Angeſichte / hebben tho
dy allene vnſe Ogen ſtedes gerichtet / vnd
gelöuen feſtichlick / du werſt vnſern Voeth
vth dem Nette des Důuels vnd vnſer Vi-
ende Stricke geweldichlick tehen: Wende
dy tho vns HEre / vnd ſy vns gnedich /
wente wy ſint Enſam vnd Elende / alſe de
wy ane dy nene hůlpe noch Erreddinge
hebben / nenen rath noch Troſt weten / de
Angeſt vnſes Herten js groth / Helpe vns
vth allen vnſen nöden / Sůhe an na diner
groten Barmhertichеit vnſen Jamer vnd
Elende / vnd vorgyff vns alle vnſe Sůn-
de / darmit wy ſolck jamer vnd Elende wol
vorſchůldet hebben: Bedencke HEre vnd
ſůhe / dat der Viende diner Gelöuigen veel
js / de vns vth wreuel vnd ane gegeuene
billike orſaken / haten: Beware derwegen
in ſo velerley Anfechtingen vnd gefahr vnſe
Seele / vnd erredde vns / Lath vns jo nicht
vor vnſen Vienden tho ſchanden werden /
dewyle wy alle vnſe vortrůwent vp dy ſet-
ten: Schlicht vnd recht behöde vns / wen-
te wy vorwachten Dachlikes / vormöge
diner

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

diner thoſage / diner gnedigen hülpe vnd erreddinge : Lath dy O HEre in gnaden vnd eller Barmherticheit dine gantze Chriſtenheit beualen ſyn / Erlöſe Jſrael vth aller ſiner noth / darmit wy dy Ewichlick lauen vnd pryſen mögen / Dorch JEſum Chriſtum vnſen HEren / Amen.

*Epiſtola Sectio Pſal. 25. tertia.*

*Euangelium Luc. 15. Parab. de Oue & dragma perditis : incip. Ait ad illos Parabolam : fin. Ait autem : Homo &c.*

*Repetantur & hoc die poſt Litaniam preces ſuperiores.*

Barmhertige / etc.

*Pſalmi cantandi hi ſint.*

Vader vns im Hemmelryck.
O HEre Godt begnade my.
Allein tho dy HER JEſu Chriſt.

*Cantetur etiam, vbi fieri poteſt, quotidie :*

Van allen Minſchen affgewandt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°

[illegible]

Candido lectori S.

Inciderunt passim σφάλματα tipographica, tum literis perperam permutatis, additis et transpositis, tum distinctionibus et subdistinctionib. non satis accurate observatis. Ista subitae festinationi et autoris necessariae absentiae condonabis tuaque sponte emendabis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 588 8°